

lent pro foro interno, cùm ad substantiam privilegii scriptura non requiratur: at in foro externo non prosunt, nisi fuerint authentizata per publicos officiales Papæ ad id constitutos, ut statuitur in cit. Const. Urb. VIII.

§. II.

De quibusdam privilegiis in particulari.

179. Q. I. *Quid sit privilegium exemptionis, et quid juris circa illud?*

R. 1.^o *Exemptio* est: personæ aut loci, vel utriusque liberatio à jurisdictione Ordinarii, sive acquiratur privilegio Papæ, sive præscriptione aut concessione Episcopi ex juxta causa, et de consensu capituli in limine fundationis vel postea. Est triplex: *personalis, localis* et *mixta*: quarum prima personam, secunda locum, tertia utrumque eximit à potestate Episcopi.—Rursum exempti, alii sunt *nullius diocesis*, qui cum clero, populo et toto territorio eximuntur: alii sunt *in diocesi*, sed non *de diocesi*, qui quoad personas et locum exempti sunt; sed certum populum cum territorio exemptum non habent.—Item alia est exemptio *in capite et membris*, dum et Ecclesia principalis, et capellæ seu Ecclesiæ ei annexæ exemptæ sunt; alia *in capite tantum*, dum Ecclesia principalis exempta est, non verò capellæ ei annexæ; et ideò Abbas, cujus Ecclesia tantum principalis exempta est, ratione capellarum subditur Ordinario, ad Synodum venire, ejusque decreta recipere tenetur (*c. 17. h. t.*)

2.^o Privilegium exemptionis, utpotè præjudiciosum, strictè secundum terminos est intelligendum. Undè:—I. Si exempta sit Ecclesia principalis non hoc ipso exemptæ sunt capellæ: si clerici exempti, non hoc ipso exempta est Ecclesia: si Prælati ratione sui exempti, non eo ipso exempti sunt clerici: at si exempta sit Ecclesia, hoc ipso etiam exemptus est Prælati cum clericis, ut deciditur *c. 9. h. t. in 6.*; nam appellatione Ecclesiæ vel monasterii venit etiam Prælati cum clericis et monachis; sed non econtrà.—II. Exempti tantum ratione loci, si extra locum exemptum delinquant, contrahant, aut rem sitam habeant, conveniuntur in foro Ordinarii (*c. 4. et fin. de for. compet.*), nisi etiam quod hæc tria exempti sint, sicut ii, qui personalem exemptionem habent, coràm Papa, vel suo Prælati aut Legato à latere conveniuntur (*c. 1. de V. S. in 6. c. 35. de elect. in 6.*): non tamen coràm Nuncio Apostolico aut Legato nato, nisi ad hoc speciale facultatem habeant.

3.^o Exemptus renunciare nequit suæ exemptioni, etiam privatæ (*c. 5. de arbitr. c. 2. h. t. c. 2. de in integ. restit.*); nam talis renunciatio est præjudiciosa Sedi Apostolicæ, cui per exemptionem jus speciale

acquiritur in exemptum: unde, v. g. religiosi exempti, nec de licentia Generalis subicere se possunt Ordinario in casibus non permissis.

4.^o In causa exemptionis iudex est Papa privatè (*c. 12. de judic.*), quia privilegium et jus Papale inferior authenticè interpretari non potest. Probatur autem exemptio ex instrumento authentico, re iudicata, præscriptione 40 ann. cum titulo: non tamen ex privilegio fructus terræ colligendi; quia per hoc non probatur monasterium esse exemptum (*c. 19. h. t.*) Jam si allegetur privilegium, jus ei favet, atque ita, pendente lite, reus defenditur in possessione certa: si verò possessio est incerta, vel si allegetur præscriptio, jus assistit Episcopo, isque jurisdictione utitur, donec lis decidatur.

180. Q. II. *Quæ sint privilegia Regularium?*

Ad hanc quætionem multa scribenda forent, quæ in Scriptoribus regg. fusè et confusè reperiuntur, et multa jam in decursu juris hujus attuli; et ideò hîc breviter me expediam.

R. Seqq.:—1.^o Exemptio à lege diocæsana, non verò jurisdictionali, nisi quibus id specialiter concessum est, ut dixi lib. 1. tit. *de off. Ord.*—2.^o Privilegium eligendi iudicem conservatorem (*tit. de off. deleg.*)—3.^o Privilegium non solvendi decimas secundum dicta *tit. de decim.*—4.^o Privilegium asyli (*tit. de immun. Ecc.*)—5.^o Privilegium sepulturæ (*tit. de sepult.*)—6.^o Privilegium dispensandi in votis non reservatis, et plura alia, quorum memini suis locis et titulis.

Nota, quod Clem. XIII. complura privilegia à suis Prædecessoribus concessa revocavit etc.

I. Constit. *Romanum* 13. Jan. 1731., revocavit et ad terminos juris communis reduxit privilegia seu exemptiones quomodocumque, et quibuscumque etiam Ordinibus regularibus Societatis Jesu, Prædicatorum et Eremitarum S. Augustini concessas in damnum Cameræ Apostolicæ.

II. Constit. *Romanus Pontifex* 12. Febr. 1732. revocavit varias facultates et indulta concessa per vivæ vocis oraculum, vel rescripta suorum Decessorum; non tamen concessa per quasvis litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis expeditas, aut rescripta à sacris Congregationibus edita et à prædecessoribus Pontificibus approbata; nec non ab officio S. Pænitentiarie quomodolibet concessa.

III. Item Constit. *Romanus Pontifex* 30. Mart. 1732. revocavit, et ad terminos juris communis reduxit alia quam plurima privilegia concessa Ordinibus regularibus à Bened. XIII., videlicet Theatinorum, Constit. *Vita et morum*: Prædicatorum, Constit. *Pretiosus* una cum declarationibus sub die 28 Septemb. 1728. ab eodem Pontifice factas super quibusdam dubiis circa intelligentiam rerum in ipsa Constitutione contentarum exortis. Universo Ordini S. Francisci quoad Tertiarios Const. *Paterna Sedis*, Minorum Conventualium Const. *Singularis devotio*, Capuccinorum Constit. *Ratio Apostolici*, Augustinianorum Const. *Libenter ea*, Servorum B. V. Const. *Exponi nobis nuper*. Item privilegia ab eodem Bened. XIII. concessa Const. *Summe decet* 2.

April. 1727. *Exponi nobis fecit* 21. Mart. 1729., *In Sede* 1. April. 1729. "

181. Q. III. *An Regulares habeant inter se mutua privilegiorum communicationem?*

R. 1.^o Mendicantes æquè principaliter seu pariformiter communicant in omnibus privilegiis intuitu status religiosi concessis: ità com. ex plurimis Bullis Pontificiis Leonis X., Clement. VII., Clem. VIII., incip. *Ratio pastoralis* 1597., 20. Decemb., idque procedit de privilegiis non tantum concessis, sed etiam concedendis in futurum, ut clarè exprimitur in iisdem Bullis Pontificiis, ut etiam de privilegiis habentibus clausulam incommunicabilitatis, sicut Const. Gregor. XIII. incip. *Satis superque*, et alia incip. *Pium et utile*, ut dixi lib. 1. tit. *de temp. ordinat.* n. 140.

2.^o Mendicantes participant privilegia omnium Ordinum non mendicantium, Congregationum, confraternitatum et aliorum piorum locorum: ità com. ex iisdem Bullis Pontificiis. At contra Ordines non Mendicantes illi tantum communicant in privilegiis Mendicantium, quibus hoc specialiter concessum est, ut Congregationi Cassinensi, Lateranensi, et 12 Congregationibus; et si qui cum eis in privilegiis communicant, uti ferè omnes religiosi ad hanc communicationem sunt admissi: et meritò, ut eadem sit omnium communio, quorum in votis essentialibus eadem est cum Deo unio.

3.^o Religiosi non communicant:—I. In privilegiis adversantibus eorum instituto, sicut sunt privilegia Ordinum militarium, vel laxioris Religionis, quæ strictiori accommodari nequeunt.—II. In privilegiis pœnalibus et odiosis, nisi et hoc cederet in favorem Religionis.—III. In privilegiis exorbitantibus, quæ non intuitu Religionis, sed causæ alterius particularis sunt concessa, v. g. ratione hujus Ecclesiæ, imaginis miraculosæ etc., ex quo fundamento docent Scriptorum Minorum S. Francisci indulgentiam Portiunculæ non communicari aliis.

4.^o Modus in communicandis privilegiis conformiter cuique Religioni observandus est. Unde Societas Jesu, ejusque religiosi participant privilegia aliorum Regularium illimitatè data, cum modo limitationis et dependentiæ à Præposito Generali, quia attentis Constitutionibus Pontificiis, omnes gratiæ Apostolicæ per dictum Præpos. Generalem derivari debent ad religiosos Societatis; econtrà plerique alii Regulares, non tantum sua et aliorum Regg., sed etiam privilegia Societatis cum modo limitationis et dependentiæ data, participant immediatè et sine tali modo, conformiter suæ Religioni; quia dependentia ista, utpotè restringens usum privilegii, est quoddam onus et odium, quod in communicationem non cadit (*arg. reg. odia in 6.*)

5.^o Sicut privilegiorum, ità et Indulgentiarum communicatio datur inter Regulares, dummodò Indulgentiæ intuitu Religionis ejusque Sanctorum sint concessæ: ità com. Nam et Indulgentiæ veniunt nomine privilegii latè sumpti. Unde religiosus, præstitis præstandis, non tantum lucrari potest Indulgentias cuicumque Religioni, Congrega-

tioni aut sodalitati concessas, sed etiam ipsæ Indulgentiæ datæ, v. g. pro festivitate S. Fundatoris Ordinis, applicantur festivitati Fundatoris alterius Ordinis in privilegiis communicantis etc.

Circa communicationem privilegii altaris, attendendum est sequens Sac. Indulgent. Cong. responsum ad generale dubium tertio loco eidem discutiendum propositum 5 Febr. 1748, 2 Martii ejusdem an. à Bened. XIV. approbatum.

«Tertio an privilegium altaris sit communicabile.

»Ad tertium. Negative.» "

§. III.

De excessibus privilegiatorum.

182. Q. I. *Qui sint notabiles excessus privilegiatorum?*

R. Seqq., qui maximè in Templariis et Hospitalariis sunt animadversi:—1.^o Recipere Ecclesias vel decimas à manu laici non privilegiati (*c. 3. h. t.*)—2.^o Non vitare excommunicatos et nominatim interdictos, instituere vel amovere presbyteros in Ecclesiis pleno jure non subjectis absque auctoritate Episcopi, celebrare in Ecclesiis interdictis, vel sepelire corpora defunctorum (*ibid.*)—3.^o In privatis oratoriis campanas publicas habere, easque pulsare (*c. 10. h. t.*)—4.^o In Ecclesia poluta ante reconciliationem celebrare, vel suspensos ab Episcopo absolvere (*c. 11. eod. et c. 18. de sentent. excom. in 6.*)—5.^o Ecclesias aut capellas ædificare in locis non exemptis absque licentia Episcopi: in exemptis verò absque licentia Papæ (*cap. 4. h. t. in 6.*): quo casu præter pœnam arbitrariam, Ecclesia ædificata cedit Episcopo (*c. 14. h. t.*)—6.^o Extremam unctionem et Viaticum ministrare, vel matrimonia solemnizare sine licentia parochi: quo casu religiosi ipso facto incurunt excommunicationem reservatam Papæ, et per locorum Ordinarios publicè denunciabilem; *Clem. 1. hoc tit.*, ubi plures alii excessus religiosorum enumerantur. Quia verò excommunicatio ista lata est contra eos, qui hæc facere *presumpserint*, ideo ab hac censura excusatur religiosus, qui ex simplicitate et ignorantia, etiam modicum crassa, dummodò non sit affectata, talia sacramenta administravit. Corripi tamen potest et debet pro qualitate culpæ et ignorantiæ. Pœnam excommunicationis, contra solemnizantes matrimonia absque licentia parochi latam à Trident. *S. 24. cap. 1. de reform. Matr.* in suspensionem fuisse commutatam dixi lib. 4. tit. 3.

183. Q. II. *Qua sit pena excedentium in privilegiis?*

R. Amissio privilegii præter alias pœnas delicto proprias; quia meretur quis in eo puniri, in quo deliquit. Sicut econtrà, qui privilegiatum impedit in usu privilegii, meretur suis privilegiis et juribus spo-